



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1351 usque ad annum 1414

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118278

§. 32. Bertholdus hæreticus Spiræ concrematur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66293](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66293)

Sæcul. XIV. amplexos carceri addixerat. Obstabant
A.C. 1256. ministri quidam Ducis Joannis Gradonici:
 & correptos Inquisitoris domesticos omnes quæstioni subiciebant, eos, cum hæreticos illos comprehenderent, de ipsorum bonis aliquid occupasse causati.
n. 13. 14. Sc. Inquisitor id Papæ conquestus est: qui Ducem per litteras 1 Maji anno 1356 scriptas oravit, ut ne impediret exercitium inquisitionis, quæ potius adjuvanda esset. At cum res duceretur longius, Michaël, ut eam urgeret, Avenionem ipse petiit. Vita interim functo Duci Gradonico Joannes Delfinus successerat: cui Papa per epistolam 17 Sept. eodem anno datam gratias egit pro præsidio, quod Inquisitori Michaël Pifanio ferret: quod indicat, jam sublatam fuisse controversiam.

§. XXXII.

Bertholdus hæreticus Spiræ concrematur.

Chr. Hirs.
20. 2. p. 231.

Spiræ Inquisitores jusserunt capi Bertholdum quendam spargentem hos errores: Christus in suis cruciatibus se sensit a Patre suo ita derelictum, ut valde ambigeret, utrum anima sua obtineret salutem perpetuam, an damnaretur. In eodem statu ob doloris vehementiam male precatus est sanctæ Virgini Matri suæ,

suæ, ac terræ suam haurienti sanguinem. **Sæcul. XIV.**
A. C. 1356.
 Homo in hac vita potest tantam assequi perfectionem, ut precibus, aut jejuniis non habeat opus amplius, eique nihil vitio detur. Precatio, quæ voce fit, est inutilis ad salutem: sufficit precatio mentis. Homo profanus in libris hospes ac peregrinus, sed illustratus a Deo potest aliis, sibi que ipsi prodesse magis, quam Sacerdos litteratissimus, vel si Doctor sit. Major fides ac obedientia debetur concionibus & documentis hujus laici sic illuminati, quam Evangelio, scriptisque Doctorum omnium. Homo pius solito utens victu suo potest acquirere tantundem gratiæ, quantum accipiendo corpus & sanguinem Christi.

Hæc octo puncta comprehendunt præcipuos Bertholdi errores; quibus jungebat permultos alios. Tradebat eos secreto simplicibus Wurzeburgi primum, postea Spiræ: ubi detectus captusque publice interrogabatur ab Inquisitoribus, aliisque viris doctis; & convictus fatebatur errores suos. Rogatus, an eos deponere, ac fidem Ecclesiæ amplecti vellet, reposuit: Mea fides est donum Dei: quapropter ab ea desciscere nec debeo, nec volo. Sic obstinatus animo traditus Justitiæ, damnatus ad rogam, & combustus est hoc anno 1356.

p. 232.

K 3

§.XXXIIL